

**Dietrich I. von Lichtenstein als Zeuge.**

**Wien, 11. März 1207. \*)**

Ego Liupoldus dei gracia dux austrie et stirie: notum omnibus esse volo. tam presentibus quam futuris. quod monachi sancte crucis in tribus placitis meis querimoniam mihi fecerunt istius modi. Rudgerus dumo ut dicebant omne patrimonium suum. in ũlricheskirchen, videlicet domum suam, et duas uillicales curias. et uiginti octo curtilia. in wilrates sex mansus et dimidium. in porinstorf tres mansus. in alrichestorf mansum et dimidium. hec inquam omnia cum pratis et silvis et omnibus pertinentiis. deo et beate Marie in sancta cruce delegavit. hoc nimirum modo. eaque conditione. ut si adelheidis filia sua sine liberis obiret. in usum fratrum deo in sancta cruce seruientium iure perpetuo cederent. Itaque fratres ipsi conquesti mihi sunt. quod eadem adelheidis cum non habeat liberos. paterni patrimonii partem uendiderit. partem inpignorauerit. partem reliquam chunrado secundo marito suo contulerit. Ad hec cum in quarto placito responsura foret egoque finalem super his daturus essem sententiam. mittens chunradus abbatem sancte crucis in domum suam uocauit. talisque inter eos assentiente adhelheide facta est compositio. ut partem illam prediorum que inpignorata fuisset. abbas et conuentus sancte crucis quinquaginta talentis redimeret. atque ex his uero tres mansus in porinstorf. in wilrates curtile unum. et in ũlricheskirchen duo curtilia. in possessionem mox acciperet. cetera uero chunradus et adhelheidis toto uite sue tempore possideant. ita tamen ut neque uendendo. neque inpignorando. neque ullis aliis modis aliquid ex eis a sancta cruce debeant abalienare. sed post mortem amborum ad sanctam crucem libere et absolute pertineant. etiam si chunradus ex alia uxore liberos procreauerit. Pactum etiam est. ut ea que chunradus uendidit. idest in alrichestorf mansum et dimidium. et in kogelbrunnen uillicalem curiam. abbas si iusta querimonia potest requirat et recipiat. Talis itaque pactione cum inter eos constituta fuisset chunradus in sanctam crucem ueniens pactionem ipsam confirmauit. cunctaque predicta predia super altare sancte Marie delegauit. Posthec wienne coram me tam pactionem quam delegationem confessus est. confessa est et adelheidis omnia hec sua uoluntate facta. et idcirco mea quoque auctoritate confirmata sunt. per presentem paginam. ac sigilli mei inpressionem testiumque adhibitionem. quorum nomina hec sunt: Henricus comes de lechesmunde. Wernhardus de scowenberc. Vlricus de peccahe. Kolo de truhsen. Wigandus de klamme. Hermannus de kranechperc. Marquardus de hintperc. Henricus de stritwisen. Kadoldus de ueldesperc. et Wichardus frater eius. Dietricus de lichtensteine. Hadmarus de sunnenberc. Hugo de molanstorf. Henricus de ulricheskirchen. Irenfridus de hintperc. Ulricus de wolfgerestorf. Albero de alberdorf et multi alii.

Actum wienne in capella gotfridi camerarii. Anno dominice incarnationis M.º CC.º VII.º V.º idus Marcii.

(L. S.)

\*) Original im Heiligenkreuzer Archiv.